Programma

quo

orationes

in memoriam virorum meritissimorum

Jacobi Friderici a Rhod

et

Friderici a Groeben

publice

in auditorio maximo

D. XXIII. Maji habendas

indicit

C. A. Lobeck,

[redacted]

Regiomonti Borussorum,
typis Academicis Hartungianis.
MDCCCXXXVIII.

38.

De verborum graeci sermonis non purorum descriptione dissertatio I.

Verborum graecorum divisio tripartita, qua vulgo utimur, ad puerilem institutionem aptissima est, ad artem minus, quippe confusis literarum characteristicarum discriminibus, in quibus omnis fere anomalia continetur. Nam quae sunt aliae inaequalitatis causae speciesque, ellipsis, pleonasmus, metathesis, variaeque elementorum commutationes, eae non sunt verborum propriae affectiones sed omnium orationis partium communes itaque inter se cohaerentes et continuatae ut separari sine magno discentium incommodo nequeant. Sed ab his discrepant literarum, quas verba habent discretivas, immutationes temporales; quae quo facilius cognosci possint, verba ipsa sic describenda sunt ut, quae eosdem habent exitus, in unum componantur. Ordiar a labialibus.

C. 1. §. I. In *αβω* unum terminatur *βλάβω*, obsoletum illud unoque vetere exemplo *βλάβεται* testatum; nam quod Hesychius profert *ἄβεις, ἔχεις,* quidquid est, certe graecum verbum non est. In *εβω* tot, quot Choeroboscus enumerat Anecd. Cram. T. II. 137. 18. *σέβω* et *φέβω* sive *φέβομαι.*

In *ιβω* item duo *θλίβω* et *τρίβω,* in *οβω* et *ωβω* nullum, in *υβω* unum *κρύβω.* Diphthongus nulla characterem antecedit praeter *ει* — *τὰ εἰς βω λήγοντα ῥήματα ἑνὶ φωνήεντι παραλήγεται πλὴν τοῦ ἀμείβω, στείβω,* [*λείβω ἤ*] *εἴβω* EM. 454, 5. His acce-

dunt non pura. *Κάμβει παύεται* et *κάμμει καθέζει* Hesych. pro *κάμπτει* positum alicubi intellectu eo quo considentes *κῶλα* et *γυῖα κάμπτειν* dicuntur v. Hermann ad Hec. 1052. nihilque diversum a latino cambio, campsi, unde cambium dicitur *ἀντικαταλλαγή* pecuniae in orbem euntis ut mensa ipsa banco di giro. Verbum *θάμβω*, quod Buttmannus Gramm. II. 147. ex Hesychii verbis *Ἐθάμβη ἐξεπλάγη* eruit, evanescit adhibita necessaria correctione *ἐθάμβει* vel *ἐθάμβησε*. Firmius nititur *Τέλβεσθαι μεμψιμοιρεῖν*, *Τέλβει ῥήγνυται, ὀδυνᾶται, σχίζει ἢ πείθει*, quae Hesychii interpretes ita expediunt ut postremum interpretamentum ad *θέλγει*, proximum ad *τέμνει* referant, ipsumque caput cum *ἀτέμβειν* componant, quod Grammatici eodem modo interpretantur *ὀδυνᾷν, μέμφεσθαι*. Aliud literae alpha vel additae initio vel non omissae exemplum praebet *ἀθέλβω*, quod non solum hoc modo scribitur sed etiam *ἀθέλδω* mutatis literis *β* et *δ* ut *ὀβελος, ὀδελός, βελφίς, Βελφός*, et tertio modo *ἀθέλγω*, eoque proxime accedit ad verbum *ἀμέλγω*, quicum significationem sugendi colandique, id est liquoris exsugendi, communem habet. Jam si eandem notionem sugendi verbis *θηλάζω*, fello, *βδάλλω* et *βδέλλα* subjectam animadvertimus, hoc apertior erit verborum *ἀθέλβω* et *ἀμέλγω* propinquitas apposito praesertim latino mulgeo, quod etsi ex duabus verbi graeci significationibus alteram ita remisit ut raro de sugentibus dicatur, tamen haec primaria esse videtur, illa vero ubera mulcendi adventicia, neque aliter Romani senserunt *αἰγιθήλαν* caprimulgum dicentes. Denique mulgere, mulcere et mulcare haud aliter inter se differre arbitror quam germanica streichen, streicheln, striegeln, quibus omnibus subest stringendi actio, prout usus venerit remissior intentiorve. Cetera hujus ordinis comprehendam brevi: *στίλβω, ῥέμβω, στέμβω, ἀτέμβω, φέρβω*. In hoc autem universo numero perpauca inveniuntur quae vere nativa nulloque extrinsecus additamento aucta dici possint, *σέβω, φέβω, κρύβω, θρύβω* (*θρύβεσθαι* Mich. Eph. in Arist. de Memor. p. 130. a. ceterique ad Phryn. 318. allati). Aliis namque vocalis se insinuavit, *λείβω* et *στείβω*, quod idem tamen apud Xenophont. et Hesych. *στίβω* scribitur, aliis con-

sona β ut φέρβω (herba, verbena) ex φέρω ortum *); ac suspicio est στείβω illud, adjunctumque ei στέμβω, στεμβάζω, cum verbo στῆναι, στεῖται, eo cognationis nodo contineri quo vernacula nostra stehen sive antique stan, stapfen, stampfen, cui quod respondet graecum verbum πατεῖν est ubi pro βαίνειν valeat Aesch. Agam. 1299. Pind. Ol. I. 185. Beta autem unam esse literarum expletivarum constat exemplis non dubiis, quale est θλίβω a θλάω ortum, τρίβω a τράω (tero) pamphyliumque, ut Eustathius ait p. 1654, 20. ὀρούβω pro ὀρούω. Quemadmodum vero στείβω et στέμβω idem valent, ita ῥέμβω cum στρέφω et significatione congruit et forma, recteque Schol. Il. XIV. 413. nomini στρόμβος apponit tanquam synonymum ῥόμβος turbo, cui simillima rota magica et ῥύμβος vocatur et στροφάλιγξ ἑκατική, litera sigma ante τρ modo addita modo praetermissa, ut στριγχός ap. Hesychium legitur pro τριγχός sive θριγκός, et τρύχνον ἔνιοι μετὰ τοῦ σίγμα στρύχνον ὀνομάζουσι Galen. de Facult. Simpl. VIII. 19. p. 145. T. XII. quod EM. 771, 31. se reperisse negat; eodemque feruntur τρίζω, στρίγξ, στρίβος, strideo, paene ut suspicer στρηνής **) quoque sive στρῆνός, quod potissimum de voce dicitur idem esse atque τρανός seu τρανής et τορός sive διάτορος a τράω, τορέω terebro, perforo, penetro. Itaque eorum quae duas habent in exitu consonas, pleraque alteram utram aut etiam utramque asciticiam habere videntur. De στίλβω, ἀμείβω sive ἀμεύω, et ἀτέμβω nihil constituere audeam, sed ultimum

---

*) Hinc φέρμα τὸ γέννημα Schol. Aesch. Suppl. 693. i. e. germen, φέρσαι τὸ θρέψαι Schol. Eur. Phoenn. 796. ubi Valckenarii correctionem φέρψαι non necessariam esse ostendit Matthiae allatis Heraclidae verbis φέρσαι τὸ γεννῆσαι, ac repugnat grammatica ratio; nam φέρβω flexuram non recipit. Ἔρσεται Nicander saepius pro αὔξεται usurpavit, cui cognata videntur ἔρα (terra) Ceres pro Geres (ut ceset pro gessit) et ἔρση, sive rorem significat alibilem (θῆλυν ἐέρσην τὴν θρεπτικήν v. Graev. ad Scut. 395.) sive fetus animalium, qui ipsi δρόσοι vocantur et ψακάδες i. e. θρέμματα.

**) Hesychius interpretatur ἰσχυρόν, cui quod apprime simile est strenuus veteres a voce sabina strena i. e. sanitas repetunt satis probabiliter. Interim τορός quoque sic ut strenuus dicitur pro ἐνεργός, δραστήριος, exempli causa τορῶς καὶ ὀξέως διακονεῖν Plat. v. Lexx.

nonnulli ab ἀτέω productum putant, primum fortasse aliquis cum στίλη stilla componat Hesychium sequens Σταλαγεῖ μαρμαρύσσει, ut Homerus dixit στιλπναὶ ἔερσαι, lucida gutta Ovid. Fast. IV. 522. Verba in εβω desinentia ultra imperfectum declinari negant Grammatici, aoristum ἐσέφθην a Platone et Sophocle usurpatum notantes; cui accedit Σέψασθαι σεφθῆναι, θαυμάσαι Hesych. idemque ῥεμφθῆναι profert. Ceterorum inclinamenta non reperiuntur.

§. 2. Verba in πω exeuntia pleraque plenioribus concedere coacta sunt ἅπτω, κόπτω etc. Sed statum tenuerunt ἕπω (ἕπομαι) βλέπω, δρέπω, κλέπω clepo (v. ad Hes. s. Ποτεκλεπτόμην) λέπω, πρέπω, ῥέπω, τρέπω, σκέπω, quanquam horum quoque nonnulla incrementum acceperunt partim poetarum arbitrio ut δρέπτω v. Jacobs. ad Anth. P. p. 644. partim suffragiis communibus ut κλέπτω et σκέπτομαι, si quidem hoc a gestu illo speculantium, cui proprium nomen σκόπευμα, translatum est. In ηπω duo restant σήπω et θήπω ab Hesychio asservatum Θήπει ψεύδεται, Θήπων ἐξαπατῶν, κολακεύων, θαυμάζων, unde τέθηπα ortum habet. In ιπω unum Σκίπει νύσσει Hesych. cognatum fortasse cum σκίφος sive ξίφος, quod EM. a ξύω repetit; additaque litera paullo post scribitur Σκνίπτειν νύσσειν; sicut nomen ipsum σκίψ et σκνίψ, alioque loco Κνιπεῖν (scr. κνίπειν) σείειν, ξύειν. Terminationis proximae vestigium cernitur in futuro ὄψομαι. Sed et υπω huc referendum propter Melanthii verba ἔγρυπεν ἡ γῆ, nam id sine dubio imperfectum est non aoristus; nec praetermittenda Hesychii glossa Γνύποντι ἀσθενοῦντι, pro quo γνυποῦντι corrigunt convenienter praecedenti Γνυπεῖν ἀσθενεῖν. Diphthongum duo habent, utrumque ascitam, λείπω et ἐρείπω. Sed verbum δούπω non legitur nisi inclinatum. Consona horum verborum plerisque nativa est aut certe unde illata fuerit demonstrare non possumus. Θήπω tamen ad simpliciorem formam θάω revocari potest de quo diximus in Parall. p. 47. σκνίπω s. κνίπω ad κνάω, ipsumque ῥέπω, ἐρείπω, consonam aliunde mutuatum esse ex nominibus ῥηδής, ἀμφιῤῥηδής argumentatus sum in Parall. p. 156.

neque refragabor si quis βλέπω et λεύσσω, quae EM. 652, 5. idem sonare affirmat, a λάω orta putet praefixo beta, quemadmodum Schol. Od. III. 293. λισσή accipit κατὰ μεταπλασμὸν τὸν νῦν παρὰ τοῖς Κρησὶ σὺν τῷ β Βλίση scr. Βλίσσηνα. Et ab eodem λάω Passovius λάμπω extitisse putat verborum lucendi et videndi affinitate motus. Hinc proximus egressus ad alia, quae pura non sunt: θάλπω, ἔλπω, μέλπω, πέμπω, κύρπω, μάρπω, ἕρπω, τέρπω, de quibus eadem fere suspicio. Nam si θάλπω cum θαλυκρός et synonymo ἀλυκρός (Parall. 42.) et primitivo ἀλέα, item si μέλπω cum μέλος conferamus, consonam extremam insiticiam esse concedere cogimur *). Duo autem postrema eam habere videntur quidem propriam sed non suo loco positam. Nam ut ex ῥαπίδες (ῥάπτω) extitit ἀρπίδες, ἀρβύλαι, ἄρβηλος, ita magnopere credibile videtur latinum repo ab origine propius abesse quam ἕρπω itemque rapio quam ἅρπω, si quidem hoc ex participio ἁρπάμενος suscipimus. Ac τέρπω quoque sive τάρπω ex τρέπω natum putant EM. 753, 39. quorum verborum tanta inter se est formae similitudo ut non solum de homerico φιλότητι τραπείομεν εὐνηθέντε etiamnunc certetur, utrius sit subjunctivus v. Spitzner. ad Il. XIV. 314. sed etiam τερπώμεθα Hesychio teste dictum sit pro τρεπώμεθα, τετάρπετο pro ἐτρέπετο. Significationes autem quantumvis discrepare videantur, tamen conciliari possunt verbo ἐξαλλάττειν in causam adhibito, quod dicitur pro τέρψαι καὶ παραγαγεῖν εἰς εὐφροσύνην Phryn. Ecl. p. 363. cf. Orell. ad Nicol. Suppl. p. 7. — Verbum κάρπειν (mendose scriptum καρπεῖν) Hesychius interpretatur πλήττειν, medium κάρπεσθαι vero καθαίρειν, quod interpretamentum ut priori conveniat, sumendum est sic positum esse ut in sermone quotidiano usurpatur pro τύπτειν, μαστιγοῦν v. Albert. ad Hesych. s. Καθαρθῆναι. Idque non longe abest a destringendi notione, quam obtinet latinum carpo et mollius calvo id est vello, unde calvus proficiscitur id est

---

*) Similiter Latini pro σκάλλω scalpo, pro πάλλω palpo, nonnunquam etiam puris labialem inserentes ξάω scabo, παίω pavio, oppuvio, κραύω, unde κρόταλον, crepo, crepitaculum.

volsus et substantivum cavillus, verbumque calvere et longiore ambitu calumniari, quae omnia a propria vellendi significatione transferuntur ad omnem rationem vellicandi, vexandi obtrectandique; neque alium intellectum habet verbum carinare. His autem gradibus ascendimus ad primitivum carere id est carminare vel ut nos dicimus kardaetschen a cardis, quibus ad eam rem utuntur lanarii. Atque in hoc mihi stirpem verborum κάρπω et carpo agnoscere videor, quibus quae increvit consona a congenere κείρω abest. —

[Ne disputationis tenor interrumpatur, quod relictum est spatii insumam supplendo et corrigendo libro postremum edito. Parall. p. 5. fin. de Ἀντιγενίδης macroparalecto cf. Elmsl. ad Iph 276. — p. 9. v. 26. post Buttmannus add. Lexil. I. 75. et paulo ante scr. λάλος p. λαλός — p. 23. v. 22. add. Καλλείνικος Epigr. Append. N. 151. — P. 28. v. 18. add. σκορπιείη Orph. Lith. 616. — P. 34. v. 16. ὕρχη aspiratione caret sicut omnes vocales literam ρ praecedentes sequente aspirata v. Anecd. Cram. I. 423. — P. 47. v. 16. add. Τεύθιν σκαράδιν Hesych. quod Vossius recte accepisse videtur pro τεύθιν (τευθίδα) σκαρίδα — P. 49. v. 3. add. Ἰσιόδωρος Silent. Soph. 553. (II. 137.) qui alibi Ἰσίδ. vocatur v. Ducang. p. 67. — P. 86. l. 23. add. Πῶς ποῦς ὑπὸ Δωριέων Hesych. ubi restituenda est vetus scriptura πός. — P. 173. v. 14. add. τοὺς ὀπισθόπους Aesch. Choph. 702. — P. 191. v. 22. Ὀρφήν nominativum esse aeolicum pro Ὀρφεύς ex Prisciani loco non apparere, recte me monuit Schneidewinus in Censura, eidemque in Simiae versu p. 78. Adn. 14. φλέγεται restituendum esse assentior; illic Ἀραφήν convenit. — P. 245. p. 25. add. εὐτείχεας Oppian. Hal. II. 671. et p. 246. πυριφλεγέθης Hippocr. T. II. 849. a verbo compositum. — P. 561. v. 4. non memineram σιαίνω pro σικχαίνω saepius legi v. Valcken. Opusc. T. II. 247.]